

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,


QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quartâ mensis Novembris, anno Domini M. DCC. LXXI.

M. CAROLO-GEILLE DE SAINT-LEGER,

Equite, Consiliario Medico Regis ordinario, primi ordinis & totius Equestris agminis in exercitu Medico primario, Doctore Medico Præside.

An acutè febricitantibus temperata cubicula?

I.


PRIMÆVOS apud parentes patenti puroque aëri in plateis exponebantur ægri, quos lecto jacentes adire, remediaque priùs in simili casu proficua edocere viator quicumque tenebatur. Laudabilis eâ ætate aureâ mos erat ut, qui è morbo emerserant, historiam suæ sanationis templo memoriæ dicarent. Sic impulsu naturali & certo egerunt Assyrii, Babilonii, Chaldæi, Magi, Ægyptii, Cyrenæi, Crotonæi, totusque Mesopotamiæ tractus, usquedum in Græciam migraverit hæc medicina naturalis, ac in Cnido, Rhodo, Co, insulis effloruerit. Primus veri nomine medici dignus Hippocrates à priscis usibus, quæ experientiâ aut ratiocinio judicaverat insalubria, ablegavit: clinicæ

arti justas ac meritas laudes impertiendo, ægrotos intra cubicula detinere sapientius & utilius existimavit. Acutas febres nec in caldariis nec in hypocaustis curabat; sed aërem novum identidem spirabant ægri, sæpe etiam ventorum suavitate salubritateque fruebantur. Sic Naturâ consultâ opportunè oriebantur crises certò morbum judicaturæ, unde sanitas firmior vitaque longior. Nonne quod simplicius & naturæ magis consentaneum, id salubrius? Ecquid acutè febricitantibus simplicius & magis arridens, quàm amæni cubiculi, ac temperati aërem inspirare.

I I.

FEBRIS omnium morborum frequentissimus, morbos inflammatorios semper, cæteros quam sæpissimè comitatur. Hine medicorum adagium, *febres duæ fere tertiæ omnium morborum partes*. Febrim esse instrumentum naturæ quo partes impuras à puris secernit nemo clinicus, nemo dogmaticus diffitetur. Præcipuarum functionum læsio, pulsûs velocitas, calor, tria sunt phœnomena quorum præsentia febrem adesse, absentia verò eamdem deesse, medicum edocet. Quæ quidem signa & in eontinuis & in intermittentibus, eum in ephemerâ benignâ tum in causo semper occurrunt, ne excepto quidem typho seu genuinâ malignâ, quidquid contradixerint pathologi. Febrium numerosa cohors, omnesque earum differentiæ ex gradu velocitatis & spatio peragrato desumuntur. In acutas & lentas primo intuitu distribuuntur. Acutæ dicuntur cum mox enarrata symptomata pathognomonica eitò & cum periculo decurrunt. Ab illis ephemeram nè quidem excipimus, lieet post Celsum plurimi contendant tale morborum genus neque acutum dici posse quia non perimit, neque utique longum quia, si occurrit, facilè sanatur. Hujusce sententiæ adversariis ephemeram vulnerariam & ephemeram sudatoriam satis est objicere. Subdivisionem febrium in acutas simpliciter & peracutas tacemus, hæc potius ad theoriam quàm ad praxim attinct. Lentæ vocantur febres, quando symptomata supramemorata tardè seu imminente seu deficiente vitæ periculo morbi stadia percurrunt. Si sub secundo respectu perpendantur febres, erunt vel continuæ, vel exacerbantes, vel intermittentes. Hæc postrema species ad lentarum elassem reducitur, acutarum ordinem duæ priores subeunt. De hisce tantum febribus acutis hodie differere nobis est animus.

I I I.

QUÆ assiduò, sine intermissione & cum eodem tenore usque ad ægritudinis decrementum vigent febres, continuæ nuncupantur. Si pyrexia pluries in decursu morbi crescit & decrescit, nec omnino recedit & typus sæpè confusus apparet, tunc exacerbantis seu remittentis nomine insignitur. Hinc magnum inter utramque febrim interest discrimen; continua semper simplex est, rarò implicata: remittens verò semper composita & quam sæpissimè implicata. Harumce febrium causa multiplex & ab omnibus quæ valent corpus afficere, repetitur. Talia sunt ingesta, gesta, retenta & applicata. Cur eadem naturam hodie juvant, cras lædunt illam? Illud edocent ratio simul & experientia, istudque phœnomenon eodem intuitu medici omnes accipiunt. Utinam de methodo acutè febricitantibus medendi pariter inter se consentiant! Medicinæ pars præcipua dicitur Therapeutica quia tum morbum præsentem tollit, tum futurum arcet. Quamobrem triplici, ut ita dicam, utitur armamentario, Diætâ scilicet, Pharmaciâ & Chirurgiâ. An hæc sufficiant, affirmare non audemus. Ministrum principem [aërem] silent scriptores clinici plerique. Ad vitam sum-

mè neceſſarius, continuò inſpiratur : illius ergo vires morbi viribus longè præcellunt ; quod quidem jamdiu Hippocrates, Aſclepiades, Cælius Aurelianus, Sennertus, Riverius & Sydenhamus invictis experimentis confirmavere. Aëris laudes nonnulli quotidie prædicant haud infimæ notæ viri medici, ſed ineluctabili fato vox in auras inanis avolat. In cameris anguſtiſſimis plerumque decumbunt febricitantes, in lecto tanquam in tumulo conſepulti. Corpus plumeis culcitis quaſi immerſum ſtragulis oneratur. Hyemali ſemper nec rariùs verno & autumnali tempore, aſſiduo igne ardet focus. Vigente æſtate ſæpiſſimè deficit ignis, ſed ſtrictè occluduntur cubicula, feneſtriſque accuratè obturatis, aër concluſus nec vagandi potens, verſando confervescit, inde gravis, impurus & quaſi peſtilens ægrorum pulmones ſubit ; inde vel irrita evadunt indicata ritèque præſcripta acutè febricitantibus remedia, vel lentum ideòque faſtidioſum eis levamen afferunt.

I V.

SI medicus naturæ miniſter & interpres ipſi non paret, ipſi pariter non imperat. Morbus quilibet eſt naturæ conamen materiæ morbificæ exitum, in ægri ſalutem omni ope molientis. Illud conamen denuntiat febris, & hanc toties adeſſe diximus quoties & præcipuorum munerum læſione, & velocitate pulſûs, & calore laborat æger. Illud ergo potiſſimum incumbit medenti, ut naturæ conatus vividiores ac effrænes moderetur, languidos & torpentes excitet, ritè procedentes nequaquam perturbet, inordinatos tandem regat. In febribus acutis naturam ſtrenuè reluctantem laceſſit hoſtis, totoque corpore ſævit mars avidus. Diræ morti brevior pateret via, niſi quis medium intra certamen ſeſe immitteret, litem compoſiturus. Affulſit ubi curationis ſpes, febricitans intùs & extùs temperandus venit. Ex diætâ pharmaciâque tantùm temperantia ne deprompſeris auxilia : atmoſphæram conſulas, & hanc perutilem fecundamque ægrotanti reddere labores. Experientiâ quotidianâ conſtat magis optatam & nobis ſalubriorem eſſe mediam aëris temperiem. Etenim atmoſphærâ nimis calidâ diſſlantur tenuiores corporis noſtri liquores, copioſior promovetur perſpiratio, inſpiſſantur fluida & motui inepta evadunt. Frigidiore verò tantùm mutatur malorum facies. Pulmones totuſque corporis habitus frigore comprimuntur, coarctantur cutis ſpiracula, ſufflaminatur perſpiratio, ad interiora propelluntur humores excrementitii. Hinc quanti ſit momenti febricitantibus aërem præbere temperatum ! Hoc relaxantur fibræ, cutis flectitur rigiditas, ſiſtitur pulſûs velocitas, evaneſcunt ſudores qui falſum ſolamen afferebant, imminuitur calor : tum leni ſalubris aëris ſenſatione corporis recreantur organa, purior ac facilior aura trahitur, mollitiem adipiſcuntur ſingulæ partes, aſſueta recipiunt munia, placida liberaque fit ſanguinis circulatio, promptior tutiorque morbi ſolutio.

V.

ACCOMMODATAM ægro concedere aëris temperiem negotium prorſus facile ; ſolius Thermometri Realmuriani ope ſolvitur nodus. Id enim varios atmoſphæræ ſtatus æquilibrio conſtanti indicat, inter quos eminet gradus *temperatus* dictus. Decem lineis, ut norunt omnes, congelationis gradum ſuperat ; eo regnante nec æſtuat nec hyemat tempus, & robore quaſi Herculeo donantur corpora. Non mirum igitur quod gradum Thermometri Realmuriani temperatum, ut febricitantibus magis conſonum & præſtantiorem conſtituamus. Gradum in eodem thermometro *ſub cubiculi ægrorum* nomine deſignatum improbamus. Temperatum ſeptem gradibus antecedit, ideòque nimis æſtuoſus

est, & ægris maximè noxius. Quid nunc facilius, quid simplicius quàm temperata reddere cubicula? Si æger acutâ febre corripitur tempore frigido, intra hujus cubiculum affigatur thermometrum, ignis accendatur ut gradum temperatum spiritus vini possit attingere. Quo facto semper idem servetur calor, nec ascendat nec descendat liquor in tubo contentus, tunc auram nonnisi moderatam ducit æger. Qui contra fervente tempestate febricitat, cameram domûs amplissimam quæ versus septentrionem spectet, debet incolere. Ibi lecto teneatur auleis apertis, crinitâ culcitâ jacens, unoque tantùm stragulo coopertus. Diversis postea modis refrigeretur cubiculum; illud sat temperatum judicabis cum ad decimum supra congelationem gradum thermometrum descenderit. Hunc nos attingimus scopum si ostia cubiculi omnia, omnes quotquot sunt fenestras adaperiamus. Ipsorum loco suppara pandimus, sic longâ velorum arietatione quatitur aër, & salubris perflat Favonius. Diu noctuque afflantis hujus venti humore benigno molliuntur ægrotantis organa, leni illius calore citò moderatur febris & hostem plerumque fugat natura. Aliàs tabulata laterculave modò cum aquâ glaciali, modò cum aceto, modò cum cæteris vegetabilibus acidis irrigamus. Plantas recentes inodoras, ac in undis puris crescentes circa febricitantem admovemus; lintea quoque frigidè madida cubili suspendimus. Aliquando tandem spiraculis, ventilabris, follibus, aut flabellis utimur. Horumce simplicium remediorum beneficio quassatur aër, nequaquam stagnat, morbum præsentem arcet nedum novum accersat. Formulis porro expositis quibus aër præparandus est in febribus acutis, concludere quid impedit:

Ergò acutè febricitantibus temperata cubicula.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptista LANGLOIS.

M. Henricus RAIMOND, *Regis exercituum in Insulâ Corsicâ Medicus.*

M. Carolus-Nicolas D'ESLON.

M. Antonius-Joannes-Baptista-Maclovius GUENET.

M. Paulus-Gabriel LEPREUX.

M. Ludovicus-Claudius GUILBERT, *Antiquus Regis exercituum Medicus ordinarius.*

M. Ludovicus-Gabriel DUPRÉ, *Serenissimi Principis Condæi Consiliarius Medicus.*

M. Antonius PETIT, *in Horto Regio Anatomes & Chirurgiæ Professor, è Regiâ Scientiarum Academiâ, & Militarium Regni Nosocomiorum Inspector.*

M. Stephanus POURFOUR DUPETIT.

Proponebat Parisiis TUSSANUS GUINDANT, ex Virzione apud Bituricenses, Doctor Medicus Monspeliensis, Nosocomii Aureliæ Antiquus Medicus, Collegii Medicorum, Regiæque Societatis Rei Agrariæ ejusdem civitatis Socius, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

A. R. S. H. 1771. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis *Quillau*, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1771.